



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

In Omnes Totivs Anni Dominicas Æstiuas, à Festo Pentecostes vsque ad
Aduentum

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXIX

Feria II. Pentecostes.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56259)

diuinis ignis illas succendet, atque in cineres rediget.

Quo impedimento sublato, Apostolos imitari oportet, qui priusquam spiritum sanctum receperent, mundo valedixerant, & egregiam illam professionem emisertant: *Ecce nos reliquimus omnes, &c.* Mundum qui etiam, affectu saltem, & voluntate relinquere, omnesque illius lubricitates & dissolutiones deserere debemus, si eandem sperare felicitatem velimus; & Spiritum sanctum si apud nos hospitari debemus; omnia prius impedimenta amotenda, animaque euacuanda.

4 Reg. 4.

Quod Elisæi vasa munda & vacua essent, oleo repleri meruerunt; sane si hodie oleum gratiæ in animas nostras infundi, & Spiritum sanctum omnis gratiæ auctorem eodem diuertere velimus: animarum nostrarum vasa ab omni passione, prauo affectu & vanitatibus purgemus oportet, ac vacua reddamus. Hoc igitur proponite, ac ambitionis & honorum sitim deponite, has à mente phantasias dispellite, prauas hasce affectiones, quæ nos torquent, procul à corde eliminate, à voluntate malas inclinationes tollite, denique ab animo omnia peccata & vitia proscribe, & omnia euacuare, omnia noua sint, & Apostolis similia.

Tu vero gloriose Spiritus sancte, Patris & Filii amor, donum Dei altissimi, fons aquarum viuentium, hominum consolator, rerum spiritualium thesauri, magne scientiarum magister; tu qui hodie tam vehementer spiras, quam ardentem inflammas, atque omnia linguarum idiomata infundis. Tu qui è Theristis Cæsares, è balbutientibus Demosthenes, ex idiotis Philosophos, è discipulis magistros reddere soles, sensus nostros illumina, amorem cordibus infunde, animum confirma, & vires adauge, procul à mœnibus nostris sanctissime Spiritus, inimicum propelle, pacem terminis nostris concede, dux denique in omnibus viræ huius periculis esto. Fac, obsecro, vt hodie animæ nostræ igne tuo suavissimo accendantur, linguæ vt mutentur & Apostolorum instar linguæ loquamur nouis. Fac vt veritatem mendacia, in benedictiones blasphemiarum, in laudes conuitia, in honesta inhonesta verba

conuertamur; atque hoc linguis nouis loqui esse credam: ita porro loqui, & eodem etiam modo vitam instituire, vera ad cœlum semita est, in quo Pater & Filius, tuque qui sanctus es Spiritus, in æterno regnatis. Amen.

FERIA II. PENTECOSTES.

Partitio.

- I. De amoris Si ac robore.
- II. De amore Dei in nos, vt causa rerum prima.
- III. De amoris diuini e. cessu in nos.
- IV. De amore Dei nos quaerentis.
- V. De S. Spiritus dono, & Christi merito.
- VI. Quo sine datus sit Spiritus sanctus.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum unigenitum daret. Ioan. 3.

FIGURA.

MAGNUM & euidentis dilectionis Creatoris erga creaturam argumentum fuit, cum magnus ille Deus sancto viro Tobias: è summo cœlorum, vnum è septem spiritibus, qui assidue diuine maiestati adstant, destinauit, qui cæcitati illius mederetur. At maius profecto & euidentius amoris indicium eiusdem Dei erga mundum fuit, cum proprium ille dedit Filium, qui pro illius redemptione mortem oppeteret, morti & passioni illius consentiendo, homines vt interitu eriperet, vitamque illis immortalẽ compararet. Tobias Angelum in medicum habuit, sed mundus proprium & unigenitum Dei Filium in Redemptorem assertoremque nactus est. O dilectionem penitus admirabilem! amorem omnem qui amorem transcendit, quique hodie per vniuersum nostrum Euangelium conspicitur: quo vt & iam animos repleamus, Spiritum sanctum rogemus, qui veri amoris Deus est, vt hodie aurium nostrarum sonum ac verborum meorum flatum ita dirigat, illius vt magnitudinem & dignitatẽ extollere valeamus: quare more

more solito sacratissimam Virginem inuocemus, suis ut precibus nobis succurrat, atque idcirco in genua prouoluti angelicam illi salutationem offeramus.

AUE MARIA.

I. Tres purpurati Persæ custodes corporis magni ac potentissimi Principis Darii, qui in centum ac viginti septem prouincias imperium habebat, cum coram Rege disceptarent, quidnam omnium rerum fortissimum foret; primus esse dixit vinum, alter credidit Regem omnibus præualere; tertius vero quis fuit Zorobabel, veritatem validissimam esse asseruit: *Super omnia autem vincit veritas.* At nemo illorum, mea quidem sententia, scopum retigit; nemo veritatem attingit; quare si quis quartus extra ordinem sententiam rogatus, amorem esse dixisset, vere illum censerem iudicasse: nihil enim amore fortius, nec quidquam in rerum natura reperiri posse crediderim, quod cum amoris robore ac viribus sit comparandum. Nam *Omnia vincit amor*, nulli cedit, sed vniuersa expugnat.

Tanta siquidem illius potentia, robur ac fortitudo est, ut sponsus in Canticis inuincibili mortis robori potentiaque conferre illum non vereatur, *Fortis est ut mors dilectio tua.* Id est, non tantum mors Parca illa inexorabilis, sanguinaria illa sicaria quæ omnes prosternit ac iugulat, virium habet in corpora, quantum in animas amor. Idcirco etiam amoris fortitudo inuicta armorum potentia in sacra Scriptura comparatur, ut hic pateat, quemadmodum arma corpus lædunt & offendunt, ita ab amore corda & animas vulnerari. Scriptum quippe in Daniele legimus, duos illos impudicos & lasciuos veteratores, grauius amore Susannæ vulneratos fuisse, *Ambo vulnerati amore illius.* Et in secundo Regum libro dum de incestuoso & impudico Ammonis Davidis filii amore sermo est, scriptum est, ita cum amore Thamaris vulneratum fuisse, in morbum ut incideret, *Ita ut propter amorem eius agrotaret.*

Deinde sancta, & amans sponsa hosce a-

culos perferens, & fortitudinem amoris experta, adeo se vulneratam professæ est, ut à morte non parum abfuerit, ideoque fortius orabat, dilectum suum huius ut amoris certior redderent, eique languorem suum patefacerent; & cum amor illi cor & vires abstulisset; breui etiam vitam et ablatum, *Nunciatus est, quia amore languo.* Dicite itaque an non magnarum amor virium sit?

Non sine ratione vero Poeta, fabularum Amorem inuentores, amorem & puerum pinxere, & matus effinxere, Cupidinem nuncupatum; flammis & sagittis armatum; utque appareret terribilior, maioremque metum incuteret, Martem illi dedere Patrem, Deum bellorum, armorum & sanguinis. Audite quid dicat Ouidius:

1. Metamorph. lib. 4. c. 7.

Quidne tibi lasciuæ puer cum fortibus armis? Fabulosum hoc est, fateor, & nihil habet cum veritate affinitatis, sed verum credo, quod Alexander ab Alexandro prodidit, Lacedæmonios amoris robur perspectum habentes; priusquam conflicturi essent, & manum cum hoste confecturi, amoris victimas immolare consueuissent. Credebant siquidem ut referunt nonnulli; victoriam in bello magis a subditorum affectu dilectioneque, quam ab armorum robore ac fortitudine dependere, vel, ut sentiunt alii; malebant lites & controuersias suas amice, & pacate, vel honesto aliquo fœdere, quam sanguine cadibus & ciuium strage amissioneque dirimi. Verum, quocumque æmum consuetudinem hanc intelligamus modo, vires ac diuinitatem amoris hac ratione ostenderet ac patefacere voluerit, quam Philosophi eidem inesse non negarunt.

Nec etiam erro: constat enim, celeberrimos quosque & maximi nominis Philosophos credidisse tantas amoris esse vires, tantam potentiam, tamque illum mirabiles producere effectus, ut in Deorum numerum idcirco censuerint referendum; quia & longius procedendo omnium illum rerum dixerint esse principium. Huius opinionis fuit Empedocles, referente in Metaphysicis Aristotele. Plato quinetiam dicere non erubuit, Amorem, diuinum, potens,

Amorem Deum esse credidere Philosophi.

Lib. 1. in conuicio Socratis.

rens, singulare & vnicum mundi beneficium esse: cuius sententiæ plurimi deinde accessere, certo sibi persuadentes, vnicum amorem, mundi fundatorem rerumq; omnium principium esse: adeo vt concessa illi diuinitate omnem quoque illi potentiam & robur dederint.

Figura amoris apud veteres. Caritas l. de imaginib. Deorum.

Hæc forsitan fuit ratio, cur doctissimi quoq; veterum inter ceteras Deorum figuras, Amorem exotica quadam & noua ratione efformarint, pisces nempe dextra, & spicas sinistra præferentem. Hoc vero symbolo aliud designatum nõ fuit, quam amorem Deum esse, & quidem tantæ potentiæ maiestatisque, vt maris simul & terra dominaretur, quod per pisces & spicas denotabatur.

Omnia quidem hæc non nisi opiniones quasdam vulgi esse libens concesserim; verissimum tamen est, Deum verum omnipotentem, infinitum, æternum, Deum amoris esse atque omnia e mero amore operari. Quod sacræ scripturæ verbis confirmare liceat, ac præferam Ioannis Apostoli, *Deus charitas est.* Quasi diceret, Quicumque æternam Dei essentiam, infinitaque illius attributa Philosophice inquirere, ac profundius timari vulerit, sibi persuadeat, Deum non nisi amorem & charitatem esse. *Diuisigitur charitas est;* non iustitia aut æquitas; nam *alienum opus ab eo;* non potentia vel æternitas, non primum mouens, nec omnium causarum causa, neque omnium esse primum ac primarium, sed solius amoris & dilectionis.

Huic sententiæ suffragator accedens Doctor gentium diuinaque attributa, proprietates, ac perfectiones pertractans, inter cetera Dei epitheta, Deum pacis, amoris & dilectionis nuncupat, & *Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Non dedit illi nomen quale legerat in Genesi, *Ego sum Deus omnipotens;* nec quale in Exodo, *Deus tuus fortis Zelotes;* nec quale in Deuteronomio, *Deus magnus & terribilis;* nec quale in Iosua, *Dominus Deus vniuersæ terræ;* non quale primo Regum libro, *Deus scientiarum Dominus est;* non quale in secundo, *Dominus Deus exercituum,*

&c. Non quale in Esdra, *Dominus Deus cæli;* 2. Esdr. 1. non quale apud Tobiam legere est, *Benedic Tob. 10. Deum æulorum;* non quale ei dedit Iudith, *Iud. 9. Deus calorum creator;* non quale supplicans *Iob. 19. Eïther, Domine Rex Deorum & vniuersa potestatis;* non quale Iob, *Deus excelsus in fortitudine;* non quale Psaltes, *Deus maiestatis intonuit;* non quale dat & alio loco, *Deus virtutum conuertere nos;* non quale in Psalmo 135. *Constitemini Deo deorum;* non quale Isaias dedit, *Dominus Deus exercituum;* non quale Ieremias, *Dominus Deus verus est, ipse Deus viuens & Rex sempiternus;* non qualia in scriptura passim reperire est, sed vnicum amoris & dilectionis, ac bonitatis in omnibus.

Est sane nomen hoc pulcherrimum, Deoque dignissimum, nihilque quod diuinitati potius conueniat. Quid enim aliud Deus est, quam bonum infinitum, amor extremus, bonitas ineffabilis: Quid facit, fecit alias, aut faciet vnquam Deus nisi per amorem? si ab omni æternitate filium genuit, fecit ex amore? si illi essentiam, potentiam, reliquaque attributa communicans (*omnia mea tua sunt*) ex mero id fuit amore. Si item in mirabilibus ad intra, Pater & filius eandem naturam omnique suum bonum absolutum tertiæ cuidam personæ, quæ Spiritus sanctus, attribuerunt, ex mero id amore factum est. Deinde si tres hæ personæ simul iunctæ non nisi vnum creatorem constituent; totum vniuersam condidere, omnia e nihilo in mundum producentes; non nisi ex amore fuit. Annon enim amoris quoddam verbum & dilectionis inuitatio illa fuit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Denique si iam inde a primordiali hominis præuaricatione mundi redemptionem discernere, verbum Patris ad illam peragenda prædestinare, in mundum hominum naturam vt indueret, emittere, in quo vitæ hominum salutis reparandæ causa impenderet, oportuit; vni amori hæc omnia adscribenda sunt. Ita quippe hoc hodiernum testatur Euangelium, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

O amorem diuinum! ô amorem per omnia

omnia & in omnibus vere admirabilem! an non igitur merito dixeram, nihil esse amore fortius aut potentius? Videte quomodo sit Deus, sed potentiam illius in primis obstupescite: ipse enim prima creationis mundi causa, ipse redemptionis nostrae principium, omnis felicitatis nostrae fons, ipsi salus animarum ascribenda. Amor est qui peccatorum maculas delet, qui coelestem iram auertit, qui iustitiam & vindictam exarmat, qui omnipotenti Deo vincula iniecit, brachia illius deuinxit, qui nos eidem reconciliauit, qui filium suum ut daret, illum coegit, qui que Spiritum sanctum caelo elicuit. O amor, o mirabilia! aliud praesenti Euangelio non continetur, Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Ego quoque non nisi de amore hodie loquar, cuius triumphus bifariam diuidetur: primo vehementem, quem mundo Deus ostendit filium suum ei dando, amorem patefaciam: deinde quis quantusque amor in Spiritu sancti missione consistat, de dilectione igitur agentem audite dilectissimi & amore accensu.

II. Principio igitur, magnus ille totius vniuersi fundator ac conditor Deus magnum profecto & eximium erga hominem amorem ostendit, cum ob illum solum hanc excellentem mundi machinam condidit: in quo illum velut Principem in palatio, Regem in Regno, Angelis ei in stipatores & custodes datis, collocauit: *Angelis suis Deus mandauit de te, vbi creaturae illius vasalli sunt, Omnia subiecisti sub pedibus eius, cui siluae sint in umbracula, petrae in hortos, campi in deambulationem, maria in fossam, elementa in muros, montes in turres, caeli in tentoria, astra denique in fenestras.*

Alium quoque illi amorem & singularem patefecit: cum tam eximia illum naturae effinxit, omnes simul perfectiones, quas ceteris creaturis sparsim parca manu dederat in illum conferendo: esse illi quippe dederat, lapidibus commune, vitam radicibus & plantis sensum, qui & in bestiis reperitur, intelligentiam, qua item pollent Angeli, animae immortalitatem, quae ipsius Dei est. Adeo ut homo sic efformatus, instar massae cuiusdam au-

Tom. 2. Pars Aeterna.

rea, omnium thesauri naturae numismatum valorem continentis fuerit: atque ideo pluri- mi Philosophorum *μικρόκοσμος*, id est mundi compendium illum nuncuparunt: cuius in natura, velut in libelli cuiusdam foliis paucis comprehensum continebatur, quidquid in magno totius vniuersi volumine legendum dabatur. Atque huc etiam respiciens Scriptura saepenumero illum creaturam vniuersalem indiget: Quamobrem Gregorius locum illum Euangelistae interpretatus, *Pre-Marc. 16. dicitur Euangelium omni creatura*, per omnem creaturam hominem denotari credit, ipse enim vniuersali nomine omnis creatura dicitur, quod omnes omnium creaturarum perfectiones in se comprehendat. Haec quidem magni amoris argumenta & dilectio quaedam singularis: at nihil haec sunt, si cum amore quo proprium in mundum filium misit comparentur. Hoc enim donum & amor infinitus fuit & penitus admirabilis, Deo denique opulentissimo dignissimum, at homine pauperulo indignissimum. Huc faciet, *In Apoph.* quod de Alexandro Macedone refert Plutarchus, hic cum quadam tempestate in missellum & extrema inopia pressum incidisset, triginta illi talenta dedit, quae nostra supputandiratione magnam auri vim constituunt: tantam Regis munificentiam plurimi demirati, dicebant Regem nimis esse prodigum, nec tam profusum in dando esse oportere. sed respondit Rex, se ad merita vel inopiam illius respectum non habuisse, sed ad suam ipsius dignitatem, quod scilicet Rex esset, cui magna & magnifica conferre incumbat. Christianae materiae Regis hoc ethnici apophthegma adaptans dico, Deum cum homini donum conferre vellet, non tam hominis vilitatem, inopiam, necessitatemque quam suam ipsius maiestatem potentiamque respexisse, quod scilicet omnipotens, ditissimus, optimus & omnibus in rebus infinitus esset. Atque ideo proprium ei filium dedit, quo nullum donum maius, eminentius: ac diuinius cogitari potest. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Non omnino a vero Platonici, aliorumque Philosophi deflexere, cum de rerum naturalium, deque totius vniuersi primordiis agentes,

Homo microcosmus.

Platonico-rum opinio.

D

Amor re-
rum omniū
causa.

tes, & perspectum habentes, primam rerum omnium causam liberā esse, perpetuam, nunquam deficientem, inopiā expertem, diuitem quam maxime, omnibusque esse suum ē thesauris abundantia dare debere: firmiter credere, aliud hoc esse non posse quā amorem, si enim iniustus possessoribus hanc veritatē auferre voluerimus, fateamur haud dubie necesse est, Deum non nisi amorem esse, & quidquid fecerit, vnico amori ascribendum, cumque omnia vnā causam habeant, diuinum amorem primam omnium gratiæ effectuum causam existisse. Amor hic causarum omnium causa fuit, causa quæ nullam includit: & quemadmodum, d̄ Philosophi in naturalibus effectibus tandem ad omnipotentiam causæ primæ descendere oportet: ita quoque in effectibus gratuiti: qui in mundum effusi sunt, ad amorem vsq; Dei perueniendum est, ac nulla reperiri causa potest, quæ vterius transcendat, nisi quod *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum vnigenitum daret.*

Si S. Paulo Doctorigentium & vasi electionis in die iudicii corona iustitiæ promissa est, causa aliqua mouens fuit, quod in stadio cucurrerit, quod certauerit, & cursum con-
2. Tim. 4. fecerit, *Bonū certamen certauit cursum consummauit:* si Deus iuramento se obstrinxerit, ac sancte promiserit domui Abraham se benedicturū, semenq; illius super stellas cæli multiplicaturū: causa subest, quod vnigenito filio Isaac non pepercerit, sed promptissima obedientia illum Deo in victimā immolare contenderit. Si Iacob Patriarcha benedici ab Angelo meruit, nomenque illius immutari, hæc dari solet ratio, quod strenuū se & generosum in cōstitū exhibuisset, imo cum Deo luctari non detrectasset. At quod Dei filius homo factus sit, quod natura humana ad esse illud diuinum peruenerit, quod Pater æternus vnico mundo filium largitus sit, nulla dari causa vel efficiens vel meritoria potest, soli amori id est ascribendum: atque huiusmodi causam reddit Euangelium nostrum, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum daret.*

Gen. 30. Si Princeps Sichimorum tanto amore Dinam Patriarchæ Jacobi filiā dilexerit, si tanta

fratribus munera contulerit, illam vt in matrimonio nancisci posset, factum est vt ita effrenatæ cupiditati, libidinisq; ardori satisfaceret. Si Pharaō Ægypti Tyrannus Iosephum totius regni præfectum declarauit, omnibusque Ægypti Satrapis prætulit: si annulum manus suæ illi dedit ac torquem aureum: si regia illum induit veste, curru regio insidere iussit, vt ab omnibus regni incolis coleretur, mundi saluator diceretur: non gratis quidē id atq; ex puro & simplici amore factum fuit, sed quod illius indultitiæ, sapientiæq; specimen Rex vidisset, quod Principis somnia nō minori admiratione quā felicitate expouisset. Si Persarum rex Astuerus ad tantos miserum Mardocheum honores extulit, primum à Rege declarauit, formosæ Estheris meritis id ascribendum, & quod longo ante tempore coniurationem Eunuchorum in regniū caput detexisset. Si magnus Nabuchodonosor, Babyloniorum Monarcha tantis Daniele adolescentem beneficiis affecit, tantis honoribus exornauit, vt etiam illum adorare non sit veritus, si tot in eum munera contulit, si omnibus regni satrapis ac purpuratis præposuit, non gratuito id, nec sine vilo merito factum, sed quod Colossæ statuæ quam somnians viderat mysterium expositionemq; ad gustum illius declarasset. At Deum, vnico mundo dedisse filium, sine vllaprioris causa factū est, excepto quod *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum vnigenitum daret.*

Quam vehemens amor! ecquæ dilectio! ecquæ admirabilia! postquam furor, rancores & maligni Saulis motus iam cessassent, Ionathas regni Israelitici hæres, ac Dauid pastor amicitiam inter se iniere, itaq; Princeps illum complexus est, vt, teste scriptura, quasi animam suam illum dilexerit, *inierunt autem 1. Reg. 18. Dauid & Ionathas sœdus: diligebat enim eum quasi animam suam.* Amor autem summi Dei, Regisq; adeo potentis erga hominem adeo vilem & pauperculum, maior etiam haud dubie fuit: nam post tot ignes, choleram, indignationes, & iustitiam, sœdus cum illo & amicitiam contrahere voluit, veterique odio in amorem & affectum conuerso vt animam illum dilexit: dicerene vero audeam

deam plus quodammodo quam proprium filium, cum ut hominem interitu eriperet ac seruaret, filium morti tradiderit? Audite rei veritatem, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Amor Isaac
in Rebecca.

Gen. 14.

Tanto adolescens Isaac Rebecca futuram suam uxorem affectu persecutus est, ut omnis illa visa, dolor & molestia quam est matris suae Sarae morte hauserat, velut nebula sereno pulsa, abscillerit, *Et in tantum dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Allegorice hoc exponens assero, amorem Dei viuens quo mundum complexus est, adeo vehementem & violentum fuisse, ut non modo dolorem & pœnuras, quas Pater æternus habere potuisset, (si modo capax illorum fuisset) mortis & passionis filii sui moderatus sit, sed penitus animo erasas sit oblitus, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Davidis amor erga
Jonathan.

Luc. 12.

Gen. 16.

David Rex Israel in montibus Gelboe à Philistæis fuso fugatoque, audito soceri sui Saulis & Ionathæ integerrimi amici interitu, ut amorem, quo hæctenus illum persecutus fuerat, testatum faceret, suspiriis corde, & lacrymis oculo eductis lamentabatur, ac mortem illius parum æquo animo tulit, dicens: *Sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam.* Patris æterni amor longe profecto ardentior, ac vehementior fuit: audito enim interitu generis humani, præuiso, inquam, peccato, hominis damnatione, è Paradiso expulsiōne, iustitiæ furore, mortis interitu, tartari referatione, aliisque calamitatibus tantum amoris dilectionisque mundo ostendit, ut illum impofterum plus dilexerit quam mater filium, & maiori quodammodo dilectione fouerit, quam proprium filium, cum illum ei dederit, & illius saluandi causa morti addiderit. Testatur hoc Euangelium, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium, &c.*

Multa præstiterat Abraham, è quibus colligere poterat Deus, illi singulari & eximio in creatorem suum amore ferri: Chaldaea accensam fornacem ingressus erat, è qua sospes & incolumis euaserat, ad veri Dei diuinitatem declarandam: patria egressus erat, & Deo vocante, natale solum reliquerat: domo ancillam & filium illius pepulerat, multas cas-

que graues peregrinationes instituerat, quibus aliorum victa succubuisse patiētia, cum sua infracta peristeret: at dum manum gladio admouit, quo filio vnico ceruicem praecideret, tunc vocem è caelo audiuit, *Nunc cognoui quod timeas Deum:* id est, ne quid ultra tentes Abraham, hoc enim amoris tui testimonium satis manifestum est, & aliud illius argumentum non requiro. Hoc meæ adaptans materiae dico, Deum multa hominis causa fecisse, è quibus quantus suus in illum amor esset, patesceret: ad imaginem illum suam condiderat, super omnia opera sua illum constituerat Dominum, legem ei in monte Sinai dederat: at ubi proprio non pepercit Filio, morti que illum pro hominum redemptione tradidit, dicere tum vere homo potuit, *Nunc cognoui, &c.* Et Euangelista merito exclamare: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Gen. 21.

4. Reg. 3.

Li. 9. Antiq.

Psal. 105.

Israelitæ cum urbem Moabitarum obsidione cinxissent, resque obsessorum ad extrema venissent, Rex periculo in quo cum ciuibus versabatur animaduerso, filium regni hæredem in muro in obsidentium conspectu, magna animi constantia immolauit, adeo ut quotquot intuerentur non parum mirarentur, Hebraei que tam funesto viso spectaculo, locum deseruerint, obsidionem soluerint, fuga que sibi consuluerint. Perunt hic interpretes & cōmentatores, quid hac immolatione Rex denotare voluerit. Abulensis Iosephi opinionem secutus ait illum ad permouendos Israelitarum animos hoc fecisse, ut eum ad extrema redactum & tam atrox committere facinus coactum cernerent. Credunt alii, hoc illum ad propitios sibi deos reddendos, illorum que iram placandam fecisse: Erat enim Ethaicis solenne, filios dæmonibus, quos deorum loco adorabant, immolare. Docet me hoc Psalmista: *Et immolauerunt filios suos* & filias suas dæmonis. Lyranus aliud iter insistent, credit illum Regem Ethnicum tantum Israelitarum robur & fortitudinem, laudes quoque quas omnes orbis nationes illis deferebant, ac felicem in omnibus expeditionibus successum ac victorias quotidianas demiratum: à regni principibus caulani horum petiisse, qui dixere, maicestas tua,

magnanime Rex, norit, gentis huius patrem olim fuisse Abrahamum, summum Dei amicum, qui singulare eidem obsequium & cultum praestitit, quod Filium vnigenitum facultatum omnium haeredem immolarit: quo facto tantopere illi gratus extitit, omnes vt posteros illius magno deinde semper amore sit persecutus, victoriisq; singularibus condecorarit. Rex igitur hoc audito, ait, si ita res habeat, idem ipse praestabo, illius quoque mihi amicitiam comparabo: quamobrem acceptum filium in moenibus, coram omnibus immolauit. Quod cum Israelitae vidissent, secumq; diiudicassent, quandoquidem tanto in patriam amore Rex esset, illius liberandae causa sanguinem filii vt effuderit, nullam in tercipiendae illius spem superesse: obsidionem soluerunt.

Mund⁹ hic Magna & vasta illa vrbs, mundus, inquam, vbi com- cuius fossae sunt maria, muri elementa, pla- paratur. tae, viae omnes, portae quatuor mundi cardines, iam a longo tempore obsessa erat, diaboli illam acriter obsederant, idoque vniuersum magni Dei, qui Rex illius est, regnum summo in discrimine versabatur. Quid igitur facto opus? vnicum arripit filium, in Caluaria petra immolat, illius nec sanguini nec

vitae parcens, vnde Apostolus: *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum.* Quo facto diaboli inimici nostri percussi, atq; vehementem hunc amorem demirati, in fugam se coniecere. O totius vniuersi creator! o aeternae & bone Deus, si proprium hominis liberandi gratia filium immolare, morti tradere, pretiosum illius sanguinem effundere, illum, inquam, qui caeli terraeque haeres erat, non est veritus: ecquod maius & euidentius amoris argumentum optari queat? quid dici potest aliud, quam *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.*

III. Amoris huius descriptor illum vt apertius demonstraret, & extolleret altius, vsus est verbo *Sic*: quo Euangelista non nisi ad rarum quid exprimendum vti solent. Ita Marcus

Christi in cruce tormenta & afflictionem exprimere volens, centurionis Iudaei admirationem ait: *Videns centurio, quia sic clamans exspirasset.* S. Lucas quoque de summo Deiparae dolore quem amisso dilecto filio habe-

bat, agens, verbum quoque *sic* adhibuit: *Fili quid fecisti nobis si?* Ioannes idem extremam Redemptoris defatigationem innuere dum vult, & quomodo delassatus ad Samaritae puteum sederet, cum verbis id exprimere commode non posset, ait: *debebat sic fatigatus extimere.* Ita etiam hodierno in Euangelio cum deficerent ad exprimendum amorem verba, hac emphatica vocula vsus est, nullo alio adhibitio colore Rhetorico: *Sic Deus dilexit mundum.* &c.

O amorem infinitum! o affectum singularem! cuius omnes dimensiones si quis noscitur se velit, donum ipsum in se tantum spectet: si amorem omnem seipsum dedisset, non idcirco maior illius amor fuisset: filius namque Patri aqua seipsum dantis quo ad essentiam, potentiam, aeternitatem, aliaque attributa & perfectiones: quique videt filium, videt & Patrem, vt olim Philippo Redemptor ait: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem:* adeo vt donum, quod filius est Dei, cum immensum sit, & penitus infinitum, amor qui hoc tibi contulit, magnus quoque sit oporteat, iuxta Philosophicum hoc axioma, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

Apostolus hoc de dono agens, amorem hunc immensum & nimium appellauit, dicens: *Deus autem qui diuus est in misericordia a propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos.* Quae verba perpendens & omnes scripturas etiam considerans, nullum in iis Dei opus, nullam gratiam, nullum donum ex-litit collarum, excessuum aut nimium vi-deo appellari, excepto amore quem nobis proprium dando filium ostendit. Et sane doctores scholastici hunc diuini amoris excessum considerantes, & simul etiam seueram iustitiam qua in Angelorum praenicationem animaduersum fuit, duorum effectum tam inter se dissimilium, misericordiae, inquam, & iustitiae, ex eodem omnino inobedientiae peccato causam sedulo excutientes, nonnulli asserunt Angelorum intellectum mutari non posse, sed firmum, immobilem & constantem in iis quae concepti, persisterent, atque ita sentit D. Thomas: *Angelus apprehendit immobiliter.* Aliter sentiunt alii non omnes scilicet Angelos perisse, sed

Gen. 6. vniuersum hominum genus, atque ideo æquius fuisse, huic vt remedium aliquod adhiberetur. Huius opinionis fuit Æcorus, quæ & illo loco Geneseos confirmari potest, *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est, &c.* Id est, indignabor & succensibo homini, sed furor ille non erit perpetuus & æternus, quia non nisi carnis est, id est, humanæ fragilitatis conditio ostendit, æquum esse & rationi consentaneum, illi vt parcam ac misericordiam exhibeam. Ratio hæc, Auditores, quantum ex parte miserabilium, quibus misericordia impenditur, bona est: at ex parte Dei miserantis nullâ dari ratio potest, sed cum Apostolo exclamandum, *Propter nimiam charitatem suam*; vel cum Euangelista dicendum, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.*

Rom. 8. Cant. 8. Cum hic de excessu loquamur, addam hoc loco sponsam in Canticis, amorem hunc diuinum considerantem, eundem videri reprehendere, & tacite prodigalitatibus nomine sponsam insimulare dicens, *Oleum effusum nomen tuum.* Id est, ð supreme & cœlestis sponse, adeo magnificus es, vt oleum dici effusum merearis: tanta siquidem liberalitas tua est, & munificencia, vt qui nesciret, vnde illa originem haberet, è bonitate scilicet infinita, prodigum te iudicaret. *Oleum effusum nomen tuum*, id est, videris prodigus rerum tuarum dissipator esse, & diuitias tuas in vanum profunderere; sed in eo imprimis, quod Filium vnigenitum mundo dederis. *Quam profusionem contemplantus Psaltes ait, Voluntaris sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est,* quasi diceret; Amor tuus ac bonitas tantopere me vrget Deus, tibi vt obsequium meum reddam, continuoque tibi deseruiam, vt, quamuis abam mercedem non expectarem, hoc solo nomine tibi gratuum obsequium cultumque impenderem, præceptisque tuis obedirem. O amor, sed qui inimicos ipsos præuenis & anteis, & vltra omne nostrum accidis meritum. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.*

Psal. 53. *Mundum dilexit, suum adhuc inimicum & aduersarium: quod etiam Apostolus demiratus est, & enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii eius.* Perinde ac si diceret: *Ecce quis amor, ecce quæ mirabilia! non frustra Deus nobis peccata remisit; filium nobis dedit, dilexit nos etiam inimicos, nullo præuio merito, nullis bonis operibus præcedentibus, hocque penitus nouum & admirabile, hoc cœlum terraque miratur, hoc Angeli cœlestesque spiritus obstupescunt, hoc Etiam cogit dicere: Quis est iste, qui venit de Edom? id est, non mediocriter obstupescimus è terra hostili, è natura aduersaria & tantopere Deo exosa, hominem adeo diligere & complecti, vt tuas vti delicias Pater æternus illum habeat, vnde ait, *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi beneplacuit.* Mirantur, inquit, spiritus illi cœlestes, cum hominem tanto cum honore è terra adeo hostili ascendentem, & Angelico exercitu stipatum, tanta cum magnificentia in nostram admissum videmus. Mirari igitur desinite beatissimi spiritus, ac vobiscum sententiam illam Euangelista discipite, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.**

Rom. 5. *Mundum dilexit, suum adhuc inimicum & aduersarium: quod etiam Apostolus demiratus est, & enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii eius.*

Dum potentia Dei patuit in creatione mundi.

Dilexit & complexus est mundum, sibi qui aduersabatur. Atque in hoc infinitus quidam amor demonstratur. Infinita Dei potentia in mundi creatione apparuit, eo quod agens tunc à nullo præuio subiecto, aut prima materia auxilium mutuabatur; adeo, vt ad vniuersum creaturæ esse tunc producendum, perfectissimum quoddam & omnipotens esse in causa, quæ illud è nihilo producit & subsistere facit, necessarium fuerit; ideoque hinc illius omnipotentia & infinita virtus dignoscitur. Cum subiectum aliquod præuium est, in quo virtualiter forma continetur, agens, ab illo auxilium mutuatur; ideoque in huiusmodi artifice nullum infinitum est; atque ita faber è ligno sedem, mensam, aliaque opera componit, sed è nihilo fit nihilum: ita quoque se res in potentis sensitiuis habet, per oculos & lumen videmus, in tenebris vero nihil omnino cernimus. Cum vero voluntatis obiectum ipsum sit bonum, cumque nihil huiusmodi in nobis præcesserit, nec vllum præambulum fuerit, meritum ob quod nos Deus ita dilexerit, filiumque vnicum nobis dedit; efficitur, ex infinito illum amore datum esse.

esse, sicut etiam ex potentia quadam infinita mundi machinam condiderat, *Sic Deus dilexit mundum.*

Dictum olim in Euangelio maiorem affuorem dari non posse, quam si quis vitam pro alterius incolumitate impendat, *Maio- rem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sed videte hic etiam quid mirabilius, videte an non maiorem Pater aeternus amorem exhibuerit: perfecto enim & sincero amore mundū sibi inimicum complexus est, filiumque pro vita illius obtulit, eumque in cruce ad inimicorum, non vero Angelorum, redemptionem mori voluit, *Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii,* dixit iam ante Apostolus. Ad hunc amorem respexit Dominus, cum ad inimicorum nos dilectionem

Matth. 5. Patris cœlestis exemplo inuitauit, *Diligite inimicos vestros, &c. Et sicut filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Nihil autem est solem oriri facere super bonos & malos, si cum eo quod filium vnicum pro inimicorum redemptione obtulerit, conferamus.

Gen. 43. Iacob Patriarcha dolebat, vixque consensum dabat, filius Benjamin vt in Ægyptum cum aliis fratribus, ad Simeonem qui obles remanserat, redimendū proficisceretur. Non dabat illum in manus inimicorum, sed fratribus & filiis suis, non mittebat occidendum, sed vt aliorum innocentiam hac ratione testatam faceret, commearumque ex Ægypto acciperet. Longe aliter cœlestis æterni Patris amor se manifestauit, non grauatus est in mundum sibi aduersarium filium mittere, idque ad miseros peccatores in captiuitate detentos & iam condemnatos, inimicos tamen mortales, à morte eripiendos; non grauatus est, inquam, morti illum tradere, morti autem crucis, morti cruentæ & acerbissimæ, *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.*

Videtur porro Pater cœlestis non aliter se cum mundo gessisse, quam Iacob Patriarcha cum Esau aduersario suo: cum enim furorem, indignationem & rabiem profani huiusce veteratoris iam à viginti annis nosset,

amicitiam illius ambiuit, muneribusque eum sibi propitium reddere conatus est; vt hac munificentiâ ac liberalitate ferinam illius barbariem mitigaret, quapropter se cum ait: *Placabo eum muneribus.* Idem penitus summus ille Deus egit cum hominibus, cum omnim videret, iuratos sibi illos inimicos esse, vitii & prauis affectibus plenos malignitatem spirantes, & iam à quinq; annorum milibus inimicitias secum gerentes, humanitate & beneuolentia illos sibi conciliare, muneribusque deuincere studuit; ac re ipsa tam pretiosum ac luculentum eis munus obtulit, nullum vt simile à quoquam oblatum sit proprium, inquam, filium, *Vt Filium suum unigenitum daret.*

De hoc dono Isaias loquens, ait, *Parvus Esai. 9.* *lulus natus est nobis, & filius datus est nobis;* at quibus verbis vttramque simul naturam inuinit; humanam quidem in *parvulus natus est nobis,* diuinam vero in *filius datus est nobis:* vtraque autem simul sumpta, non nisi vnicum statuunt filium, quem Pater nobis donauit, ô amorem infinitum! Pater ille cœlestis viso nos à recto tramite aberrare, illum nobis vt viam dedit, *Ego sum via,* videret vero deceptos & mendacio circumuentos, in veritatem, *Ego sum veritas.* Videret in densissima versari caligine, in faculam & lumen, *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Videret in summo versari discrimine, & luporum rabiei expositos, vt pastorem, *Ego sum pastor bonus,* videret ignorantem, *Ita. 11.* *pidos & bardos, vt doctorem, & magistrum, Isai. 55.* *Filia Sion exultate & latamini in Domino Deo, Ioan. 14.* *vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitie.* Videret à Principibus tenebrarum deceptos & superatos, vt ducem, *Eccle. 11.* *testem populo dedit Gen. 22.* *eum, ducem ac praeceptorem gentibus.* Videret denique omnes nos morti adiudicatos, & in interitum ruere in vitam, *Ego sum via, veritas, & vita.* Atque vt Rachaelis interitus Benjaminis vitæ fuit occasio, ita filii Dei mors vitam nobis peperit immortalem. Atque in hoc ineffabilem amorem patefecit, adeo vt merito cum Euangelista dicere possimus, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Quid?

In 1048. Quid? vnigenitum dare filium Chrysoft. hoc obtupescens, eloquentiam hic ostentat & ait: Si filios plures habuisset, & dedisset unum hoc etiam esset maximum, nunc vero filium vnicum dedit.

Gen. 4. Iacob Patriarcha plurimorum filiorum pater erat, tamen difficulter admodum & ægerime minimum natu in Ægyptum mittere sustinuit, dimissum vero quanto luctu & suspiriis sit persecutus, dici non potest, quare absente illo sæpe secum dicebat, Ego autem quasi orbatu absque liberis ero. At Pater æternus, cum non nisi vnicum haberet filium & alium habere nequeat, amorem suum vt restatum faceret, mundo illum dedit, Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Cumque nec hunc dedisse satis putaret, Spiritum quoque sanctum dare voluit, quod donum in secunda orationis parte iam exponam.

Non erat, Auditores, munifico & liberali Deo satis filium nobis suum velut amoris artham & symbolum dedisse; sed in affectus augmentum & maiorem dilectionis eminentiam, Spiritum quoque sanctum impertiuit: vt hac ratione nobis ipse secundus Elias foret, qui duplicem suum Spiritum discipulo Elifæo legauit. Notandum autem est, filium nobis ante Spiritum sanctum datum esse: nam vt inuisibilis missio (productio inquam) Spiritus paracliti (ad infa) inuisibilem filii missionem præsupponit, & vnus prius non fuit inspiratus, quam alius genitus; ita quoque visibilis eiuldem Spiritus missio, visibilem filii missionem præsupponere debebat. Atque hæc est ratio cur Spiritus sanctus visibiliter in mundum missus non sit, nisi prius filius descendisset. Atque hoc est quod tacite Ioannes inuicem dicens, Spiritus nondum erat datus (i. e. visibiliter, & summa cum plenitudine) quia Christus nondum erat glorificatus. Filius igitur cum in festo natali in hunc mundum venisset, Spiritus paraclitus hodie in Pentecoste cælo visibiliter delapsus est.

Deus Spir. In hac porro missione amor in summo gradu fuit & pondere, id est, plenus & perfectissime infinitus, Pater siquidem cæleste Pneuma mittens ipsum nobis amorem misit, qui infinita secum dona tulit, gratiam

nempe iustificantem, gratias gratis datas scientiam, prophetiam, donum miraculorum & linguarum. Quo alludens Apostolus ait, Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Per dona vero Spiritus sanctus intelligendus est, qui modo in singulari donum Dei altissimi, modo in plurali dona appellatur, quod omnium bonorum donorumque fons sit, quæ cælitus in mundum collata sunt: ad eum prorsus modum quo peccatum originale in Scriptura Peccata, in plurali dicitur, quod omnium omnino peccatorum, quæ vnquam in mundo commissa sunt, exordium & scaturigo fuerit. Ita namque Palmographus locutus, Et in peccatis concepit me mater mea.

Æquissimum erat & rationi quam maxime necessarium: vt Deus, postquam filii nobis dedisset, daret & Paraclitum Spiritum, & Spiritus sic suo aduentu omnes secum gratias traheret. Filio igitur dato, & hoc dono concessio, nihil nobis amplius denegari poterat. Quod certo sibi persuadens Paulus ad Romanos, libera voce proficitur, Quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit.

Ægre admodum Laban Iacob Rachelem in coniugem dedit; at postquam matrimonium iam contractum esset, facile ei omnem facultatem & dotem concessit, cum iam illius ingenium & merita perspexisset. Multum temporis elapsum erat, (quatuor annorum millia effluxerant) antequam Pater æternus Filium in mundum mitteret, at postquam semel eum donasset; Spiritum mox suum & reliquas cum eo diuitias elargitus est.

Cæterum fixum hoc sit & indubitatum, Spiritus datus p Christi simplicitate, id est, puro & simplici amore sti merita. nullius præsuppositis meritis, dedisse filium; Spiritum sanctum vero non nisi CHRISTI meritis & nomine datum esse, Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, id est, ob merita mea. Iacob quod cæteros filios diligeret, dilectum sibi Ioseph ad illos destinauit, at deinde, is ipse qui propriis meritis missus fuerat, Princeps Ægypti fuit constitutus, donaque nactus est, quæ deinde fratribus distribuere. Idem omnino de Patre æterno sentiendum; amor scilicet, quo mun-

4. Reg. 2. Filius missio Spiritus S. missione præcesserit.

Ioan. 14.

Deus Spir. mitrens amorem ipsum misit.

Ephes. 4.

Psal. 50.

Ioan. 14.

Gen. 45.

mundum diligebat, filium suum vnicum mittere coegit, at hic deinde filius meritis suis nominis exaltationem, corporis gloriam summi cœlorum terrarumq; monarchæ nomen ac titulum obtinuit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra;* ac denique Spiritus sancti remissionem, quod omnium donorum donum est, & cum quo omnia pariter nobis donata sunt, quod Euangelicis verbis confirmo, *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, à Patre, Spiritum veritatis: & alibi ipse Christus, Apostolos alloquens, Ex-pedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, pa-racletus non venit ad vos; si autem abiero, mit-tam eum ad vos.* Quibus omnibus probatur, Spiritum sanctum in terram descendurum non fuisse, nisi morte sua & passione illius nobis aduentum promeruisse.

Spiritus S. seipsum dedit.

Adhæc; Pater præ bonitate & clementia sua infinita, ex singulari amore, Filium vni-genitum mundo dedit, Filius quoque Patri natura æqualis & persimilis in amore, quem admodum ad intra, vna cum Patre Spiritum sanctum produxit; ita quoque cum eodem Patre eundem ad extra misit. At Spiritus sanctus, cum aliam personam quam mitteret, non haberet, non datur enim in diuinis per-sona quarta, seipsum dare voluit. Nemini vero hoc mirum videatur; scitis enim, docti quod quamuis vna persona diuina seipsam non mittat, eo quod missio ordinem & rela-tionem ad alium requirat, ideoque distinctio quædam inter mittentem & missum neces-saria sit, seipsum tamen dare possit: quod cum sit, singularis quidam amor & effectus intimus, quo maior haberi nullus potest, sed se exerit.

Simile.

Pater igitur Spiritum sanctum cum de-dit, amicum quendam imitatus est, qui cum amico omnia quæ possideret, erogasset, ipsum tandem cor aperto pectore traderet; quod profecto maximi amoris foret indicium. Præterea Spiritum sanctum cum dedit, propriam vitam dedit; *Spiritus est enim qui vi-uisficat,* & symbolum Nicenum canit: *Et in Spiritum sanctum, Dominum, & viuificantem.* A deo ut quicumque Spiritum hunc possede-rit, diuinam prorsus & non amplius huma-

nam vitam viuat, cumque Apostolo merito dicere possit, *Vino ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.* At quod Deum, Spiritum do-nando, cor suum dedisse dixi, uemini mi-rum videri debet: certum est enim Deo cor esse. Testatur hoc siquidem Scriptura de Dauid eloquens, *Inueni Dauid, virum secun-dum cor meum,* quo etiam respexisse. Pfaltes visus est: *Cor mundum crea in me Deus:* quod duplici intelligi sensu potest, primo quasi diceret, Domine Deus mihi obsecro, cor nouum tribue, neque enim habeo; nam ho-mo esse desii & in brutum conuersus sum, *ut iumentum factus sum apud te.* Habere qui-dem fateor cor solebam, sed illud ipsum mihi abstulit Bersabea.

Hem, quam sublime philosophatur, quam liquido miseræ suæ ruinam exponit! cer-tum quippe est huiusmodi vitium quo tunc inquinatus Rex hic erat, hominem in bru-tum conuertere, cor auferre & recordes pe-nitus reddere. Testatur quippe sapiens: *For-nicatio & ebrietas auferunt cor.* Hæc Ethnici Veneris ipsi agnouere: hoc enim exprimere cum vellent, Venerem lasciuia deam hircio insi-dentem pinxere, & ad pedes illius restudi-nem: Fœtidus & salax hircus, lasciuiam de-notabat; testudo vero quam Aristoteles cor-de scribit carere, signum erat peccati: hoc cor & mentem sectatoribus suis eripere, ut Regi huic reuera eripuerat, quapropter me-rito aliud sibi reddi postulabat, *Cor mundum crea in me Deus.*

Alius vero sensus hanc expositionem ad-mittit; Dubito Domine, num cor habeam; hoc scio, si quod habeam, ipsum immun-dum & inquinatissimum esse: tu vero peni-tus mundum ac nitidum habes; Spiritum san-ctum scilicet, atque hic est quem à te exigo. At quoniam eodem indignus sum, nec eun-dem promerui, tuum est, quemadmodum creatio nullum subiectum præsupponit; ita quoque, tuum mihi dandocor, id est, Spiritum tuum; nullo ad merita mea respectu ha-bitò ipsum de nouo creare videberis. Quin & ipse forsitan Deus hoc intellexit sensu, cum in primo decalogi sui præcepto ait; *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo.*

Id est,

est, quemadmodum Dominus Deus tuus
 ē toto corde te dilexit, & totum tibi cor
 impendit, idem tu o homo prestes velim to-
 tum illi cor trade, ac reciproco illum amore
 proficere: sed satis superq; de corde nouo
 locuti, ad lineam redeamus.

4. Reg. 10. Magnus ille Deus postquam mundo fi-
 lium dedisset, spiritum quoque suum dare
 voluit, vt velut secundus Ezechias exter-
 nis diuitias & thesauros regni manifestaret;
 vel forsitan, quemadmodum duo terrestres
 mundo interitum attulerant, expediens ac
 propemodum rationi consentaneum erat,
 duo cœlestes vt eundem restituerent & in
 pristina dignitate collocarent. Idcirco filius
 venit, vt pœnam peccatis debitam lueret;
 Spiritus sanctus vero vt locum tot immun-
 ditiis inquinatum purgaret, ac prophanatū
 sanctificaret: primus venit ad inimicos de-
 pellendos ac mundi locum inuadendum, se-
 cundus præsidium in eodem collocandum,
 ne deinde ab hōste denuo interciperetur:
 neq; enim satis est, ab inimico locū aliquem
 vindicasse, sed idem ipse valido præsidio cō-
 muniendus, desueerat peccatum filius, ac
 diabolus profligauerat; Spiritus sanctus
 vero gratiarum suarum hodie præsidium
 introducit: ipstruxerat Ecclesie suæ nauem
 Filius, Apostolos ei in gubernatores, Sacra-
 menta in arma, fideles in milites, virtutes in
 vela, crucem denique in malum consigna-
 uerat, deerat vero ventus, qui eandem pro-
 pelleret perque mundi fluctus & gurgitem
 dirigeret. Spiritus sanctus vero erat bonus
 ille ventus, qui hodierna die hac figura de-
 scendit, & Ecclesia iam toties illum exspe-
 ctando orans dixerat, *Spiritus tuus bonus de-
 ducet me in terram rectam, &c.*

An non anima mea insignis hic quidam a-
 mor est? An non multis Patri aeterno nomi-
 nibus deuincta es? Quam illi mercedem,
 quam gratiarū actionem hoc illi reddes no-
 mine? *Quid retribuies Domino, pro omnibus que re-
 tribuit tibi?* Dedit tibi filiū donū rarissimum
 & pretiosissimum: deinde & Spiritum suum
 donum quod Apostolus nuncupat inenar-
 rabile, *Gratias ago super inenarrabili dono eius.*
 Moses Hebræis accepta à Deo beneficia in
 Tom. 2. Pars Æstiuæ.

Ecclesia na-
 vis est.

Psal. 118.

1. Cor. 9.

mentem reuocans, illosque ad gratitudinem
 inuitans, hac eos est oratione allocutus: *Di-
 Deut. 4. 2. dilexit patres tuos & elegit eos, de cœlo fecit audire
 vocem suam, vt erudiret te, & in terra ostendit
 tibi ignem suum maximum.* Quod olim Mo-
 ses hic Hebræis, ipsum hodie fidelium cœ-
 tui representare merito possum usque occi-
 nere, *Dilexit Patres tuos, &c.* Cogitate Chri-
 stiani, quanta vestra erga Deū sit obligatio,
 quot illi nōminibus obstricti sitis, quantum
 illi obsequium debeatis; Patres vestros rāto
 olim amore est profecutus, vos, & omnem
 mundi generationem non inferiori, dum p-
 prium vobis largitus est filium, nō de cœlo
 iam illum loquentem induxit, sed in terra,
 medius fuit inter nos constitutus (*nonissime
 autem locutus est nobis in Filio;*) ad legem nos
 edocendam; quodq; maximum amoris est
 argumentum; *In terra ostendit vobis ignem
 maximum,* id e. Spiritum sanctum, magnum
 ignem amoris, illam Ætiam, fornacem il-
 lam, quæ in linguarum forma super Aposto-
 los descendit.

An non iam igitur animæ, Deum illum a-
 more plenum reciproco amore proficere mi-
 ni? An non Deum adeo munificum & libera-
 lem? fieri ne poterit, vt post tot ab eo bene-
 ficia accepta illum peccatis ad iracundiam
 prouocetis. Honestus adolefcens Ioseph cū
 ad hœnarium adulterii crimen ab impudica
 & lubrica hera sollicitaretur, non alio nomi-
 ne rei indignitatem à se ppulit, quam quod
 Dominus variis se beneficiis affecisset, at-
 que hoc vmbone importunas lasciuie soli-
 citatrici preces retrudit, dicens, *Ecce Domi-
 nus meus omnibus traditis ignorat quid habeat
 in domo, nec quidquam est quod non in mea sit
 potestare, vel non tradiderit mihi.* Quanto po-
 tiore iure, vos animæ Christianæ diuinorum
 beneficiorum, amorisq; quem Deus nullo
 non tempore ostendit, cōsideratione aduer-
 sus omnes tērationes & importunitates mū-
 di defendere ac tueri poteritis ac dicere: *Ec-
 ce Dominus & Deus meus, omnib. tibi tradi-
 tis ignorat quid habeat in domo sua; omnes
 tibi creaturas, Filium quoq; suum, Spiritum
 deniq; paraclitum impertiiit, quid dare po-
 rest vltterius? Quid Deum offendere in po-
 sterum valeas: an nō potius reciproco illum*

E amore

amore complecti, qui tanto te est amore, p-
secutus? si tantæ amoris vires fuerint, Deum
vt expugnare potuerit; illumq; ad te inuita-
dum inducere; an non tantæ ille etiam apud
te fortitudinis erit; tuum animum vt expu-
gnet, flectat & ad tam æquum amorem im-
pellat, si tantum amoris robur in Deo fuerit,
nullumq; illius apud te sit pondus, quam
merito amor illud Angeli ad Iacob dictum
reperere & exprobrare poterit? Iacob enim
timidus & metu perculsus in patriam cum
rediret, Angelus in itinere cum eo luctatus
est, vtque illi omnem formidinem eriperet,
hunc in modum illum est allocutus, *Si con-
tra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homi-
nem praualebis?* Expostulat igitur amor quod
aduersus Deum fortis fuerit, hominem ta-
men expugnare non potuerit: quod Deum
expugnauerit, Filiumque suum dare & in
terram mittere, naturam humanam assu-
me, mortem sufferre, crucem pati, Spiritum
denique sanctum illum dare coegerit; homo
vinci expugnarique nequeat, vel potius no-
lit. Iusta profecto amoris expostulationes,
& magnum hominibus opprobriū est. Ne-
quaquam; Auditores, nequaquam, non ita
est cum amore agendum, cor illi nostrum
aperiendum, animæ replendæ, magnusque
illi Deus diligendus, si non eo amore quo
nos dilexit (hoc enim nulla ratione fieri po-
test) è toto saltem corde, & quantum vires
& affectus sinent, dedit nobis filium, no-
ster illi vicissim intellectus dandus; dedit Spi-
ritum S. demus illi voluntatem & animum;
ingrati enim alioquin audiremus, merito-
que culpandi essemus, quod Deum qui nos
tantopere dilexerit, qui que totus amabilis
est, (*guttur illius suauissimum: & totus deside-
rabilis*) ait in Canticis Sponsa diligere non
potuerimus.

Cant. 5.

O benignissime, clementissime, & dile-
ctionis plenissime Deus, qui tanto mundum
amore es profecutus, filium illi tuum vt im-
pertueris, mundum inquam peccatis ple-
num morti adiu dicatum, supplicio à tanto
tempore coram iustitiæ tuæ tribunali addi-
ctum. Quod propterea infiniti cuiusdam
amoris argumentum est, vt pote qui nulla
supponebat merita, sed infinitam è contra

demeritorum multitudinē. Recordare ob-
secro Domine, qui nō minus liberalis quam
potens es, amoris huius, huius interitu no-
stra nobis delecta ignosce, & gratias tuas no-
bis impertire pergito, cumque amoris velut
causæ primariæ ascribendum sit, quod esse
nobis dederis, mundum qui nobis palatii lo-
co foret condideris, filium vnicum ad nos
redimendos concesseris, Spiritum sanctum
ad sanctificandos miseris; idem amor causa
sit, & mouens, nobis vt salutem compares,
& ad regni cœlestis fruitionem perducas, ad
quod Patris & Filii & gloriosissimi Paracliti
benignitate ac misericordia perueniamus,
Amen.

FERIA III. PENTECOSTES.

De Spiritu S. donis hic potissi-
mum agitur.

Partitio.

- I. De Spiritu S. generatim.
- II. De septem donis sancti Spiritus, deq; effecti-
uorum.
- III. De dono Sapientia & Intellectus.
- IV. De dono Consilii & Fortitudinis.
- V. De donis reliquis.

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.

ACTOR. 2.

FIGVRA.

Agypti Princeps Pharaō cum quadam
nocte intempesta altum dormiret, ecce Gen. 41.
quiescenti septem frumenti spicæ plenæ &
formosæ in culmo vna apparuerunt. Scio Io-
sephum somniorum interpretem hoc de fu-
tura regni fertilitate exponere; at ipse ho-
dierna die expositionem somni longius ar-
cessens, mysteriorumque viam ingressus,
abundantiam Ecclesiæ hic tacite innuit, o-
stendere conabor; mihi que persuasero, ve-
rum hoc fertilitatis, quæ Spiritu sancto in
mundum veniente apparitura esset, indi-
cium existere. Ex illius enim essentia, velut
culmo,